



12007



V

100th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. nr. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

22

בִּיהוּ אֱלֹהִים

Controversia Theo-
logica

De

MERITO CHRISTI

CONTRA SOCINUM DIRECTA,
AD ORDINEM IX.

Quam

SUB PRAESIDIO

VVOLFGANGI FRANZII,

SS. Theologiae Doctoris & Professoris
in Inclyta Academia Wittebergen-
si publici.

*Collegis ad trutinam Veritatis caelestis, pia
devotione pensitandam & discutien-
dam proponit*

PAULUS VEISS Regio-
mont - Borussiae.

IN TEMPO ARCIS,
Ad diem 20. Janu. horis consuetis

WITTEBERGAE,

Ex Officina Joh. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



Compendium Theol.

logica

MERITO CHRISTI

CONTRA ARIANUM DIRECTA

YOLG... GIL...

P... ..

... ..

... ..

... ..





Τὸ ἡμεῖς τὸ θεῶν σωεργυῖντι

PROBLEMA

*An per & propter meritum CHRISTI co-
ram DEO justificemur?*

Themation 1.



Pfferunt se hodie, proh dolor! multorum hostium agmina, quæ magno conatu & molimine hoc ipsum impugnare, lædere, deturbare, imò prorsus negare annihilare satagunt, & Giganteâ planè audaciâ non clam; sed palam, non per cuniculos duntaxat, sed aperto Marte animum hostilem adverlus hoc ostendunt.

II. Inter reliqua maximum recentes Ariani seu Photiniani tenent, qui contra hunc articulum tam horridas eructant blasphemias dictu sanè audituq; horrendas.

III. Quare hanc nostram dissertationem unicè contra Socium, qui alias omnium Photinianorum est parens, directam volumus, videbimusq; sub quorum deploratissimorum & condemnatorum hæreticorum vexillis quodammodo militet & quomodo arma iisdem hostilia subministret nova, principijs & glorijs Diabolicis utendo.

IV. Ut autem omnia secundum Apostolum κατὰ τὰ ἔιν
fiant, absq; ulterioribus orationis divitijs πραγμάτων nostram
των τῶ θεῶ explicare, aggredior, Hocq; Sacrum exegema ad
quinque capita revocare, fert animus.

I. Explicatio Terminorum.

II. Status Controversiæ.

III. FUNDAMENTA vera & Orthodoxa doctrina.

IV. Exe-

IV. *Exceptiones & Sophisticationes τῶν ἀντικειμένων Socini.*

V. *Confutatio falsa & blasphemæ opinionis Socini.*

V. O Redemptor noster JESU CHRISTE, qui promisisti nobis *Luc. 21. v. 15.* *σοφία καὶ σοφίαν ἣ ἔδυνήσονται ἀντιπεῖν ἑδὲ ἀντισηῖναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν;* utrumq; nobis benignè concedas. Nam tua res agitur, cum juratissimis meriti tui hostibus, in hoc certamine, per & propter meritum tuum, ex seculo in seculum collaudandum Amen.

CAPIT I.

EXPLICATIO TERMINORUM.

VI.

Disputatoris est cauti initio *συφιλολογίας τὰ πολλαχῶς λεγόμενα διελεῖν;* ὁμωνυμία enim Mater omnium errorum est fecundissima.

VII. Atque in hac nostra *Διασκέψει* duo continentur Termini τὸ *meritum*, & τὸ *justificari*, quos breviter & distinctè explicari convenit.

VIII. Τὸ Meritum potest haud incommodè vocari Hebr. *מְצָא* a rad. *מָצָא* Græc. à verb. *μείρω*, quod partium est, sive labores, sive pretium spectes: nec exiguam *συγγενειαν* habet cum *מְצָא* commutavit, dedit unam partem pro altera, divisit, aut cum *מְצָא*.

IX. Scholastici mutuam vocabuli Meriti & Mercedis relationem somniant.

X. Meriti appellatio habetur in Syracide *Cap. 16. v. 15. Cap. 38. v. 18.* duasq; complectitur *χέσεις*, quarum 1. respicit causam vel medium, quo meritum efficitur. 2. effectum, quod inde existit.

XI. Ita meritum Christi constat 1. pro peccatis totius generis humani satisfactione. 2. Nec non Thesauro omnium bonorum donorum cælestium, quæ eadem nobis meruit, ut sunt potissimum justitia, & vita æterna.

XII. Atq; hoc sanè meritum Christi, DEUS Pater, clementissimè respicit, & propter id credentes ex gratiâ merè paternâ (in hoc autem fundata) justificat, & adoptat ad vitam æternam.

13. *Pertinet*

XIII. Pertinent huc isthæc Scripturæ Testimonia, quæ diserte de merito Christi loquuntur. Verum ea in quintuplici sunt differentia, I. Admonent nos de merito Christi per se, ut Act. 20. v. 28. Eph. 1. v. 3. I. Thes. 5. v. 9. II. De causa & modo Rom. 10. v. 19. Matt. 20. v. 28. I. Tim. 2. v. 6. Tit. 2. v. 14. I. Pet. 1. v. 18. Col. 1. v. 14. Heb. 9. v. 12. III. De ἀντιμενέω Rō. 5. v. 6. Gal. 4. v. 5. Tit. 1. & alibi passim, IV. De medio Esai. 53. v. 5. Rom. 4. v. 25. & 6. v. 10. I. Cor. 15. 3. Heb. 9. v. 15, ac de sanguine Christi Zach. 9. v. 11. Matth. 26. v. 28. Rom. 3. v. 25. Act. 20. v. 28. Rom. 5. v. 9. I. Ioh. 1. v. 7. Apoc. 5. v. 9. V. De effectu meriti Christi Rom. 5. v. 10. Esai. 43. Zach. 3. v. 10. I. Ioh. 1. v. 29. Gal. 3. v. 13. Rom. 5. v. 9. & 8. v. 3. 2. Corinth. 5. v. ult. & tantum de termino Meriti.

XIV. Verbum justificandi ex foro in hunc articulum translatum est. Non autem proinde accipitur; ut Socinus vult, pro severitate, vel ira, vel indignatione, vel furore, vel vindicta, nec pro nuda gratuita absolutione à peccatis, vel pro misericordia DEI absoluta, citra respectum ad meritum Christi.

XV. Sed vocabulum justitiæ quadrupliciter de Deo in Scriptura prædicatur; 1. notat universalem illam Justitiam, seu rectitudinem in Deo, & tum opponitur injustitiæ, iniquitati, malitiæ; ut quando David de Deo pronunciat, quod sit iustus, justitias diligat, & facies ipsius videat id, quod rectum est: de qua hoc loco non quæritur. 2. Notat illam, qua Deus bonis bene facit, malos punit, quam in Scholis judicariam & correctivam nominamus, cujus effectus est, ut suum cuiq; tribuatur, impij puniantur, pijs præmijs afficiantur. Et hæc justitia in sacris literis expressè repetitur, ac de hac, hoc loco propriè quæritur. 3. quando de Deo prædicatur, æquipollet interdum veritati Dei; propterea quod Deus constantissimè servat ea, quæ promittit: ut Psal. 36. v. 7. Psal. 117. v. 2. 4. Deniq; notat bonitatem & misericordiam Dei: ut quando David orat Psal. 31. v. 2. Psal. 35. v. 24. I. Sam. 12. v. 7. inquit Samuel ad universam multitudinē: stete, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordijs Domini, quas fecit Dominus vobiscum, & cum patribus vestris, ubi in Eb. legitur de omnib. justitijs Domini. Hanc quartam significationem tantum urget Socinus: ubi tamē quivis facillè intelligit, totā ejus disputationē ex parte procedere, & proinde turpem cōmitti ἀδολογία.

A 3

Neq;

eque enim sequitur in quibusdam Scripturæ Locis justitia Dei
 res peccatorum, idem significat, quod misericordia Dei. Ergo ubi-
 que idem significat, & per conseq. nulla est in Deo justitia vindi-
 catrix propterea nihil à rectitudine & absolutissimâ sanctitate
 Dei alienum, hoc in opere redemptionis deprehendere licet: quia
 potius admiranda quædam harmonia omnium virtutum divina-
 rum inde elucescit; sic quo ad secundam, tertiam, & quartam si-
 gnificationem verò exercuit DEUS justitiam suam: prout locutus
 fuerat, per os Proph. *Luc. 1. v. 67. & 79. & v. 54. & 55. Rom. 5. v. 8. Esa. 53.
 v. 5. Ose. 2. v. 19. Rom. 3. v. 25. 2. Thes. 1. v. 5.*

XVI. Quæ licet pauca: tamē velut murus aheneus opponenda
 sunt Photinianis, fundamentum istud veræ, ac sinceræ doctri-
 næ de merito Christi evertere, & alio dimovere, molientibus.

XVII. Socino præsertim, qui non veretur aperte Scripturæ,
 verbum Justificari non nisi forensē significationem hoc in ar-
 ticulo obtinere, ac proinde nihil aliud, quam gratuitam absolu-
 tionem à peccatis citra respectum ad meritū Christi significare.

Et tantum de Terminis, quorum ἀρχήνωσις initio scitu, &
 notatu summē necessaria; quia aliorum ψευδερμνεία omnium
 in hoc articulo errorum, & corruptelarum Fons & Scaturigo
 est prima.

CAPIT II.

STATUS CONTROVERSIAE.

XIX. Ejus verò summa inclusa est problemati in frontispicio
 thesauri posito. *An videlicet Homo per & propter meritum Christi coram
 Deo just. fietur?* Nos affirmativam amplectimur. Socinus autem
 cum suis ad seclis Negativam asserens, hoc generali sequenti Syl-
 logismo, hominem non propter meritum Christi; Sed dunta-
 xat ex mero & absoluto voluntatis Dei beneplacito justificari.

I. Si misericordia Deo non est naturalis seu essentialis proprietas: sed
 duntaxat contingens effectum liberae ipsius voluntatis. II. Si misericordia
 eō donans peccata est simpliciter absoluta, neq; vel cum aliquo justitiæ divinæ
 temperamento conjuncta, vel ad ullum aliquod meritum Christi determi-
 nata. III. Si nulla justitiæ vindicatrix est in DEO. IV. Si nusquam in Scri-
 ptura meriti Christi sit mentio. V. Si verbum Redimendi nullam aliam si-
 gnificatio-

gnificatio in eam obtinet quam metaphoricam ita, ut nihil aliud sit redimere quam liberare quocumque modo aut sibi asserere, licet nostri pretij vera solutio non interveniat: utiq; Homo non per meritum Christi justificatur. At qui prius verum. Ergo & posterius.

XIX. Singula hujus Syllogismi membra, quorum quinque sunt, hisce iterum probare conatur, ac quoad primum ita argumentatur.

1. Naturalibus Deus semper utitur. Atqui misericordia non semper utitur, quia non omnibus condonat peccata. Ergo Misericordia hac Deo non est naturalis proprietas. 2. Quicquid Deo liberè inest, id ipsi non est naturale. Misericordia ipsi liberè inest, Nam quorum vult miseretur. Ergo Misericordia Deo non est naturalis seu essentialis proprietas.

Arg. Soc.
memb. 1.

XX. Et sic quoad primum membrum ubi demonstrare cogatur Socinus, Misericordiam Deo non esse naturalem proprietatem: sed effectum liberæ ipsius voluntatis. Sequitur nunc & alterum, nempe Misericordiam peccata condonantem simpliciter esse absolutam. Soc. par. 3. de Christo. cap. 1. p. 227. & 231. Ubi iterum sic colligit.

Quicumque delet iniquitates & quidem propter seipsum ille, easdem α π λ ω s sine ullo intuitu meriti alicujus præstiti, delet. Atqui Dominus delet iniquitates nostras propter seipsum Esai. 42. v. 25. Ergo Dominus eas absolute & non propter meritum Christi delet. Nam si non absolute, sed propter meritum Christi: Sequerentur hæc absurda: 1. Prædicaretur misericordia & bonitas Dei in Scriptura planè frustra. Nam ubi est meritum pro debito, ibi locum non habet gratuita remissio. 2. in opere nostra salutis misericordiam & huic oppositam justitiam simul in uno eodemq; subjecto fuisse conjunctam, quæ tamen opposita contraria habentia subjecta misericordia hominem respicientem justitia non respicientem. Contraria (effecta misericordia parcat, justitia punit,) in gradu excellenti stare & perfectè exerceri non possunt.

Arg. Soc.
memb. 2.

XXI. Et hæc quoque pro secundo membro à Socino prolata: ubi admodum seriò urgebat, contendens, Misericordiam esse simpliciter absolutam, nunc & tertium aggreditur, insurgendo. Nullam justitiam nimirum vindicatricem esse in Deo.

Socinus. Si in Deo est justitia vindicatrix: utiq; DEVS nos ab æterno & quidem semper non dilexit. Sed Deus universum genus humanum, quan-

Arg. Socin.
memb. 3.

quantumvis peccato corruptum, & Deo inimicum, jam inde ab omni eter-
nitate, & quidem semper dilexit Rom. 5. v. 8. 9. & 10. Eph. 1. v. 4. Ergo
in Deo nulla est justitia vindicatrix. Si hoc, sequeretur duo contraria respec-
tu unius ejusdemq; objecti in Deo esse quod est absurdum.

Arg. Socin.
memb. 4.

XXII. Atque hæc quoque pro tertio. Ubi contendebat, ju-
sticiam vindicatricem non esse in DEO. Restant adhuc duo, quo-
rum primo meritum Christi merum figmentum esse clamatur,
quod sic habent.

Soc. par. 3. de Christo. cap. 1. p. 227. & 231. 1. Quorum sacra Scri-
ptura ne minimo punctulo uspiam meminit. 2. Nec in Scriptura morte sua
Deum nobis reconciliasse, & pro peccatis nostris justitiæ divinæ satisfecisse, le-
gitur, illa omnia mera sunt figmenta :

Atqui meriti Christi ne minimo punctulo uspiam Scriptura meminit.
2. Nec in ea Christum morte sua DEVM nobis reconciliasse, & pro peccatis
nostris justitiæ divinæ satisfecisse, legitur. Ergo quicquid merito Christi asseri-
tur, illud merum est figmentum. Etiam si non semel, sed saepe id in sacris mo-
numentis Scriptum extaret; non idcirco tamen ita rem prorsus se habere
crederem, ut vos opinamini.

XXIII. Quintum & ultimum: quo itidem astruere laborat:
Verbum redimendi nullam aliam significationē obtinere quam
metaphoricam, ita, ut nihil aliud sit redimere quam liberare
quocunq; modo,

Arg. Socin.
memb. 5.

1. Quomodo Christus à mortuis excitatus dicitur à DEO redemptus.
2. quomodo Moyses redemit populum Israeliticum, eodem modo nos quoq;
dicimur per Christum redempti. Atqui 1. Christus improprie sive metapho-
ricè, hoc est, sine persolutione pretij à Deo est redemptus, secundum precatio-
nem illam Christi Psal. 31. v. 6. In manum tuam redemit me Iehovah Deus
veritatis. 2. Moyses populum Israeliticum ex servitute redemit non pretij
alicujus solutione, sed potentia & autoritate à Deo tradita ac concepta. Ergo
sic nos improprie & metaphoricè dicimur redempti.

XXIV. Et hæctenus impiam mentem impij Socini recense-
re necessum habuimus, nunc sanam & sanctam confessionem
sacrae Scripturae de hoc articulo producemus.

CAPUT

CAPUT III.
Vera & Orthodoxa do-
ctrina.

XXV. Apertè & intrepidè ex Scripturis nostro conatui præ-
euntibus docemus & profitemur, hominem peccatorem, cre-
dentem in Christum, gratuita misericordia per & propter me-
ritum Christi à peccatis & ab æternis supplicijs absovi & remis-
sis peccatis, per fidem illi perfectam justitiam Salvatoris impu-
tari.

XXVI. Fundamentum hujus nostræ doctrinæ primum è *i. Fund. nostræ*
Scriptura petitur. i. sunt promissiones Evangelicæ Adamo ac *doctrinæ.*
brahamo à Patre cœlesti datæ. i. *Gene. 3. v. 15.* Semen mulieris
conteret caput Serpentis. 2. *Genes. 22. v. 18. cap. 28.* Benedicen-
tur in semine tuo omnes gentes terræ. Quid ea verba significant,
id alibi sacra Scriptura satis abundè declarat. i. Per semen muli-
eris Filium DEI Jesum Christum *Iohan. 3. in hoc apparuit Filius Dei,*
ut dissolvat opera Diaboli. 2. eadem phrasîs (*Conterere sive conculcare*
serpentes pro eo quod est destruere opera Diaboli) habetur *Luc. 10, v. 19.*
Sic demum quoque quid h. l. serpens sit ex *Apo. 12. v. 9.* apparet
jam nisi hujus contrito capite, æternæ pœnæ condonatio & re-
missio peccatorum generi humano contingere non potuit, ne-
que ullus mortalium quoque hoc præstare poterat. Propterea
hanc contritionem à solo Christo peractam esse, necesse est Nam
ne ullus eum gentibus erat cum ipso *Esa, 63. v. 3.* Cæterùm bene-
dicentur in semine tuo &c. Hæc verba non de externa & qui-
dem corporali benedictione, sed de spiritali remissione scili-
cet peccatorum gratuita & reliquis beneficijs, per meritum
Christi acquisitis accipienda esse Paulus innuit *Eph. 1. v. 3.* scri-
bens: *Benedictus DEVS & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit*
nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus, in Christo. Christus
enim factus est legi subditus, imò & maledictus factus est, ut à
maledictione nos liberaret *Gal. 2. & 4.* *Factus nobis à Deo justitia,*
sanctificatio & redemptio i. Corinth. 1.

B

27. Secun.



II. Fund. nostr. XXVII. Secundum Fundamentum nostræ Thesew^s submi-
 doctrine. nistrant sacrificia & victimæ V. T. quæ singulæ 1. erant figuræ
 mortis & satisfactionis Christi, 2. Erant typi unici illius propi-
 ciatorij sacrificij, qui se oblaturus erat Patri victimam pro toti-
 us mundi peccatis. 3. Erant Symbola gratitudinis erga Deum
 pro acceptis beneficijs. 4. Faciebant ad conservationem Sacer-
 dotij. 5. Nervi erant publicorum conventuum, quibus cultus
 conservatur. 6. Typi erant verorum & internorum cultuum ac
 spiritualium sacrificiorum Heb. 13. 7. erant media, quibus pollu-
 ti Leviticè mundabantur & in cœtum recipiebantur. Jam Au-
 tor ad Eb. sic colligit; *Si Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitu-
 le aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Quanto magis
 Sanguis Iesu Christi qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum
 DEO, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad servien-
 dum DEO viventi. Ebr. 9. v. 13, 14.* Et huc pertinet quod Dan. 9. v.
 27. Christus cessare faciet sacrificium & oblationem, Et Ebr. 7.
 Christi Sacerdotium dicitur perpetuum Sacerdotium. post
 quod nimirum aliud nullum restaurabitur aut tollerabitur,
 quia hoc erat sufficientissimum ideoque Satisfactorium ple-
 nissimum.

XXIX. Tertium fundamentum nostræ doctrinæ suppedi-
 III. Fund. no- tat 1. ex V. T. totum nimirum Caput *Esai 53.* præsertim ille infi-
 stra doctrina. gnis locus omnibus cognitus *languores nostros tulit & dolores nostros
 ipse portavit & Iehovah coniecit in eum omnes iniquitates nostras, Sicut a-
 gnus ad mactandum ductus est, quia posuerat seipsum sacrificium pro delicto
 anima eius.* 2. Ex Nov. Test. quam plurimi prostant Aphorismi.
 Quum dicitur Christus oblatio & victima. *Ephes. 5. v. 1.
 Agnus Dei tollens seu portans peccata mundi Iohan. 1. vers. 29. Agnus
 occisus seu mactatus ab origine mundi Apoc 13. v. 8. Cujus agni imma-
 culati sanguine redimimur (venditi nimirum prius sub pecca-
 rum & æternum exitium) 1. Pet. 1. v. 19. Factus peccatum, id est
 victima pro peccato 2. Corinth. 5. v. 21. Factus execratio Gal. 3. v. 13.
 Portans iniquitates in corpore suo super ligno 1. Pet. 2. v. 24. traditus pro-
 pter peccata nostra Rom. 4. v. 25. Effundens Sanguinem pro multis in
 remissionem peccatorum Matth. 26. v. 28. Mundans suo sanguine ab o-
 mni*

omni peccato 1. Iohan. 1. v. 5. Pro nobis mortuus Rom. 5. v. 8. Factus propitiatio pro peccatis nostris & simul quoque pro peccatis totius mundi 1. Iohan. 2. v. 2.

XXIX. Quartum nostrum fundamentum petimus ex Cap. 9. Epist. ad Heb. quod maximè est ἐμφανώτατον, Sine SANGVIS EFFUSIONE NON fit remissio; necesse est ergò exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostijs quam istis: Sic enim placuit DEO, ut externa illa, quæ ad Levitica sacra pertinebant & Spirituale Christi sacrificium adumbrabant Sanguine hostiarum mundarentur, ut autem hominum peccata verè expiarentur in cœlis meliora hostia opus erat; nimirum ut Christus summus noster Pontifex in cœlum ingrederetur, hoc est, ut in conspectu Dei seipsum offerret, Chirographum quòd adversum nos, & nobis contrarium erat è medio cruci affixum adimeret, Et hic est Sanguis Nov. Test. qui pro nobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.

IV. Fund. nostræ doctrine.

XXX. Concludimus proinde: Quum Christus Iesus Salvator noster sufficientissimum sua morte & obedientiâ exsolverit DEO Patri suo λύτρον pro peccatis & quidem totius mundi; nos per hoc ipsum meritum, remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam consequi & habere Rom. 5. v. 9. & 13, 18, 19. 1. Ioh. 1. v. 3. 1. Iohan. 2. v. 9. & 11.

CAPVT IV.

Sophisticationes & Exceptiones Socini, quas circa fundamenta hujus nostræ doctrinæ vel obscuranda, vel ea penitus convelenda profert.

B 2

Primò

Except. Soc. 1. **Primò contendit Socinus in verbis DEI Gen. 3. v. 15. non contineri**
cont. fund. no- aliquam promissionem Evangelicam, ita, λόγος in Paradiso promississe, se pro
stra doctrina toto genere humano satisfacturum, sed saltem maledictionem, & quidem
1. temporalem, quæ inimicitias hominum duntaxat denotat.

2. Promissionem illam de Messia Gene: 22. v. 18. Abrahamo datam esse
prorsus quiddam diversum ab eo, quod extat Gen. 3. v. 15: Ideo Abrahamo
tantum primum fuisse promissum Messiam fingit: neq; ante eum aliquem
populum extitisse ullum DEI peculiarem, & sic electionem non nisi jam in A-
brahama factam esse clamitat.

Except. 2. Soc. 1. Socinus part. 2. cap. II. pag. 128. Nuppiam in Scripturis affir-
contra nostrū mari inquit, sacrificiorum Leviticorum oblationem per se fuisse meritoriam,
fund. 2. vel habuisse in se vim satisfactionis: quin potius certum esse, quod per ea; neq;
peccata commissa expiari: neq; Deo pro beneficijs præstitis, remuneratio ali-
qua præstari potuerit.

2. Deinde quod Christum sacrificium suum peregisse legitur, hoc non
factum est in ara crucis: sed nunc demum in cælis; ubi considens ad de-
xtram Dei Patris sui, pro nobis sese præsentat, ministerium conservat & de-
fendit. Ergo concludo (inquit Socinus) falsa esse, quæ de satisfactione
Christi. hisce in terris peracta, proferuntur. Antecedentis probationem
peto ex cap. 8. v. 4. Epist. ad Eb.

Except. 3. Soc. 1. Socinus part. 2. cap. 8. pag. 3: & pag. 393. & pag. III. ex di-
cont. fundam. cto 1. Ioh. 3. v. 16. hoc urget: Quemadmodum pro fratribus animas pone-
nostr. 3. re debemus, ita & Christus animam suam posuerit pro nobis. At qui nos tan-
tum fratrum causa animam debemus ponere, ut eis profimus non VICE
FRATRUM, ut pro illis justitiæ divinæ satisficiamus. Ergo sic etiam
Christus mortuus est pro nobis. Et quod Christum mortuum esse legitur,
id saltem factum est, quatenus de cælo doctrinam salutis attulit. & in hujus
doctrinæ suæ confirmationem, non verò ob finem ullum illum mortuus est
Christus. Et si ob finem nostrum hoc factum esset, legeretur in Scriptura
eum VICE NOSTRI aut loco passum fuisse. At verò nusquam in Scri-
ptura legitur. Ergo. propterea adhuc dico, quod Christus in mortem incidere
haud secus ut bonus Pastor, qui interdum ponit animam suam pro ovibus.
sine omni satisfactione vel quemadmodum Apostolus Col. 1. v. 24. dicitur ex-
plere afflictiones Christi in carne sua pro Ecclesia, pro Ecclesiæ adificatione;
sine ulla tamen satisfactione pro Ecclesia.

2. Pergit.

2. Pergit Socinus part. 3. cap. 3. pag. 251. *Injustum & immane est de innocentibus loco nocentium poenas sumere. Atqui Deus injustus & immanis non est. Ergo à Christo innocente NOSTRO LOCO poenas non sumit.*

3. Porro instat, *Christus eodem modo, siue sensu dicitur placamen, quo olim arca fœderis dicebatur propitiatorium Exod. 25. v. 22. Iam verò dicebatur Arca, non quod Deum populo Israelitico placaverit, sed quod Deus in ea se propitium & placatum populo suo & quidem sua sponte præbens. responsa dedit. Ergo sic quoq; Christus dicitur placamen.*

Socinus. *Quamvis Christus sanguinem suum pro peccatis nostris effudit, peccata nostra tulit, nos Deo Patri reconciliavit, & id genus alia pro nobis peregit: tamen hæc singula nullius sunt momenti non quicquam satisfactionis respectus, quo vice NOSTRI DEO satisfactum, habent. Sed quod inciderit in mortem OCCASIONALITER, occasione nimirum peccatorum nostrorum, quemadmodum Mercator propter divitias, trans mare currens, naufragium patitur. Et quod Epist. ad Hebr. c. 9: extat. Distingue (inquit Socinus) inter media 1. inter medium acquirendi fœdus, & medium confirmandi fœdus. Christus effudit sanguinem suum pro nobis, ut medium confirmandi, non ut acquirendi fœdus.*

XXXI. Atq; hæcenus fundamenta veræ & orthodoxæ doctrinæ, & contra Exceptiones Socini, quibus alias ea labefactare sudat, Cui jam in V. disputationis capite falsæ Socini opinionis, succedit REFUTATIO.

CAPIT V.

Falsæ & blasphemæ opinionis Socini REFUTATIO.

XXXII. Statim ad rem 1. R. Socine confundis misericordiam cum ejus *ὀλεσπεία*. Nam misericordia DEI dupliciter consideratur, 1. quatenus ea est intra simplicissimum essentiæ divinæ complexum & quidem cum ipsa quiddam simpliciter unum & *πρότερον*. Hoc modo, maximè est DEO naturalis & essentialis proprietas, imò illa bonitas, quâ DEUS naturâ sua proclivis ad

B 3

Ad 1. Argum.
Soc. memb.
miser-

miserandum. Quicquid enim Deus facit, illud quidem volens facit: agendi tamen principio, non nisi ab aliqua proprietate naturali in DEO dependente. 2. quatenus ea ipso actu foras progreditur, & ἐκείνην quandam exeret. Hoc sensu simpliciter negamus Majorem: illo, concedimus. Ad instantiam Minoris. R. distinguendum esse inter voluntatem DEI *absolutam & limitatam*. Condonatio peccatorum fit non absolutâ, sed limitatâ. Alterum membrum tui Syllogismi quod attinet, breviter R. 1. *latet equivocatio sub vocabulo liberè*, quod interdum contingens est, interdum etiam opponitur ei, quod est coactum. Hoc loco propriè non notat contingens, ut tu Socine putas: sed notat id, quod propriè opponitur ei, quod est coactum. *Quemadmodum etiam sub voce naturale*, quæ non sumitur pro coactivâ quadâ naturæ constitutione: Sed notat arcanam in DEO *conditionem essentia*.

XXXIII. II. R. Negando majorem, Nam cum dicit

Ad Argum. 2.
Soci. memb. 2.

Jehovah. Ego deleo iniquitates tuas propter meipsum, hoc non tollit meritum Christi, possunt enim ratione subordinationis simul stare, in uno eodemq; actu remissionis peccatorum, certè nihil aliud hoc unice voluit, quam se delere peccata, non propter nos, aut nostram pœnitentiam, sed propter se, id est, quod justitiæ DEI per Christum sit satisfactum. Christus enim est ille ipse Jehovah, qui sanguine suo delevit Chirographum, quod adversum nos erat, & emundat nos ab omni peccato *Col. 2. v. 14. 1. Joh. 1. v. 7.* Deinde quod nos ad absurda deducere contendis, nihil est, ad 1. R. Misericordia non ideo frustra in Scriptura prædicaretur, quod in meritum Christi sit fundata, quippe ejus effectus est, teste Apost. *Rom. 5. v. 8. & 10. Ioh. 3. v. 16.* Ad 2. Misericordia & justitia dupliciter consideratur. 1. *absolutè*, 2. *respectivè* si absolutè, concedimus. Sin respectivè nempe ad *λύτρον* Christi, negamus. Nam hac consideratione justitia & misericordia sine ulla contradictione in uno eodemq; subjecto (*vel ut tu dicis in gradu excellenti*) ratione unius ejusdemq; operis simul omnino stare possunt.

Ad 3. argum.
Soci. memb. 3.

XXXIV. R. Iterum distinguendum est inter dilectionem Dei *absolutam & ordinatam*. DEUS quidem dilexit totum genus humanum ab æterno, non absolutè sed ordinatè, nempe in Filio suo dilecto *Rom. 5. & Eph. 1. v. 5.* Siquidem dilectio Dei est saltem causa *remota*

mota nostræ justificationis. Sanguis autem Iesu Christi est causa proxima. Proxima hæc dilectio non tollit iustitiam vindicatricem quippe, quæ essentialè Dei attributum est, nec hic ulla Contrarietas, quin potius subordinatio, subordinata autem non pugnant, nec se mutuo tollunt.

XXXV. R. Negando Majorem. Quamvis verbum satisfactio in Scriptura nõ invenitur, qui ad syllabas & apices literarum: res tamen ipsa hac voce expressa non solum in Scriptura, verum tota ferè nihil aliud docet quam hanc satisfactionem. 1. *Matth. 20. v. 28.* 1. *Tim. 2. v. 5.* 2. hæc vocabula Græca: *λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, ἀνακεφαλαίωσις, ἀναπόδοσις;* verum quid multa ex Scriptura deducere opus, quum dicis, te non velle credere Christum realiter pro nobis satisfecisse, etiamsi id non semel, sed sæpè in Script. monumentis quoad nomen, scriptum extaret. Hinc æquus lector judicare potest, quanti hi homines sacram Scripturam faciant.

XXXVI. R. Verbum redimendi improprie quidem in *Psal. 31.* accipitur, de Christo, Verum quod ubiq; eam significationem obtineat, negamus. Nam sine sanguinis effusione nõ fit remissio. Deinde, impingis in eo contra expressam sacram Scripturam, quæ contrarium tum de Moyse typicum, tum de Christo proprium testatur. 1. adversus *Heb. 9. v. 15.* 2. adversus *1. Tim. 2. 5. v. 6.* & 3. adversus *Matth. 26, 28.* Ersit tibi concedimus, Moysen liberasse populum Israeliticum ex servitute & typum Christi aliquomodo gefisse; tamen eodem modo nostram redemptionem à Christo factam esse, simpliciter negamus. Distinguiamus proinde inter liberationem. Moyses liberavit populum Israeliticum ex servitute corporali, Christus autem ex Spiritualis. Moyses liberavit sine sanguinis effusione, Christus autem per sanguinem proprium, Moyses liberavit virtute aliena; nempe Dei, Christus a. propria. Moyses erat Mediator Typicus, temporalis, corporalis, Christus verò est ille *Ebr. 9. v. 10.* Aternus Spiritualis, iam quantum hæc differunt, tantum hæc duæ redemptionis mutuò discrepant.

XXXVII. Atq; hic demonstratū & probatū hæctenus. 1. Misericordiã Dei esse essentialè proprietatē Dei. 2. Eam nõ esse absolutã, in hoc præsertim opere, sed in merito Christi limitatã fundatãq; 3. Iustitiam

Ad 4. Arg. Sub
memb. 4.

ad 5. Arg. Sub
memb. 5.

3. Justitiam vindicatricem maximè esse in DEO. 4. Vocabuli satisfactionis sive meriti in Scriptura licet non quoad apices, tamen quo ad rem fieri mentionem. Et demum verbum redimendi non metaphoricam, sed propriam obtinere h. l. significationem. Jam quoque ad Exceptiones Socini,

Resp. ad Exceptiones & argutias Socini.
Ad 1. Except.
Socin. contra nostrum fund.

1.

XXXIIX. Resp. Maledictionem in illis verbis esse, idq; ex parte dæmonis, ut etiam temporales inimicitias hominum & serpentum, iisdem quò ad externum sonum denotari, jam dudum Nostrates concesserunt: nihil autem amplius & quidem potissimum & principaliter Spiritualis promissionis in ijs verbis contineri, hoc nos simpliciter negamus. Nam si hoc ita esset, posito & non concesso, sequeretur, DEUM reliquisse in statu corruptionis nostros parètes prorsus expertes omnis solatij quod statim est contra *cap. 3. Gen. v. 15.* Ubi manifestè apparet, 1. λόγον fuisse verè & realitèr præsentem primis parentibus, statim post lapsum in Paradiso. 2. pro ijs intercessisse, 3. obtulisse se ad assumendam carnem, 4. promississe satisfactionem pro toto genere humano. Agnus occisus ab origine mundi, *Apo. 13. v. 8.* Deinde, quod dicis Promissionem *Gen. 22. v. 8.* Abrahamo datam esse diversum quid ab eo quod extat *Gen. 3. v. 15.* ac proinde Abrahamo primum fuisse promissum Messiam. Id in æternum non probabis. Manifestè hoc pugnat cum *Luc. 15. v. 79. Act. 3. v. 21:* ubi dicitur quod de Messia locutus sit Dominus per os omnium Sanctorum, qui fuerunt à seculo Prophetarum suorum, Præterea quod ante Abrahamum nullus legatur populus & peculiaris falsissimum est, siquidem sicuti DEUS Abraham, ita DEUS Sem ante Abraham, utique propter pares causas nominatur *Gen. 9. v. 26.* Et annon fuit peculiaris populus ante diluvium, dum *Gen. 6. v. 2.* manifestissimè secernuntur filij DEI à filiabus hominum, hoc est, Sethitæ à Cainitis. Tandem manifestum est mendacium quod dicis primam electionem factam esse in Abrahamo, quum antea, in Sem, & in cæteris Patriarchis ante & post diluvium sæpissimè facta fuerit, de quibus vide *Gen. 5. & 11. Gen. 4. v. 26. Gen. 5. v. 24. Gen. 6. v. 9. Gen. 9. v. 26.*

XXXIX. R.

XXXIX. R. Hoc nos non dicimus, sacrificia Levitica per se & ad 2. Except.
ex se, sine certo aliquo respectu oblationem fuisse meritoriam, Soc. cont. fund.
seu contulisse remissionem peccatorum. Sed hoc dicimus; Deum nost. 2.
sacrificiis fuisse placatum ac conciliatum certo cum respectu &
modo, nempe quatenus illa digitum intendebant ad Christum.
Deinde nonne expressè legitur? quod David ædificaverit Altare
Domino ad fortiter retribendam immissam plagam à Deo 2.
Sam. 24. v. 21. item Levi. 6. Profecto si hoc non vides, certè nihil vi-
des. Et quid obsecro respondebis Socine Authori Epist. ad Eb. qui
de Pontifice V. T. expressè asserit, quod donaria, & victimas pro
hominum peccatis Deo detulerit Ebr. 5. v. 1.

XL. R. Non distinguis inter varias officij Sacerdotalis partes ad 2.
pati & intercedere, quorum illud in ara crucis peractum esse, con-
cludimus ex Pet. verbis 1. Epist. 2. v. 25. Qui portavit nostra peccata
in corpore super ligno. Hoc nunc post resurrectionem & ascensio-
nem ab ipso fieri Epist. ad Rom. docet Cap. 8. 24. Sedens ad de-
xtram Patris ut interpellat pro nobis. Deinde crassissimè torques
verficulum 4. in cap. 8. ad Eb. Si esset super terra ne Sacerdos quidem
esset. Siquidem ibi hoc dicitur. Si Christus esset terrenus nec o-
pus eo fuisset, quia jam antea plures terreni Sacerdotes erant,
qui poterant offerre Levitica sacrificia,

XLI. R. Similitudo non semper in omnibus est similis. Christus, ad Except. 3.
ita posuit animam suam pro nobis ut solveret redemptionis pre- Soci. cont.
tium pro nobis uti Matth. 20. v. 28. Hoc certè nemo mortalium fund. nost. 3.
facere posset. Deinde talem exactam absolutamq; æqualitatem
secundum omnes gradus dilectioni nostræ cum dilectione Chri-
sti non vult intercedere Apostolus. Talis enim æqualitas in ne-
minem mortalium cadit. Cæterum quod blasphemè effutis
Christum ob nullum alium finem mortuum esse, quam quatenus de
cælo doctrinam salutis attulit id manifestè falsum est. Nam si
tantum pro confirmatione & q. in testimonium doctrinæ suæ
Christus mortuus esset: Jam mors ipsius non posset dici λύτρον
ἀντιλύτρον. ἀπολύτρωσις, ἰλασίηρον, sed esset tantum Martyrium:
Quum tamen Scriptura toties inculcet, mortuum pro peccatis
nostris, pro remissionem peccatorum, pro justitia & salute no-
stra. Præterea confundis officium Christi mediationis. Quod

G

triplicem

triplicem habet respectum in Scriptura. 1. quatenus est interpret
voluntatis divinæ. 1. *Ioh. 7. 8. Matth. 11. 7. 17. Ioh. 17. 7. 15. & 7. 8.*
Eb. 9. 7. 15. 2. quatenus, ut Sacerdos per preces & sacrificium sui cor-
poris Mediator fuit inter Deum & homines *Rom. 8. 7. 24. Eb. 2. 7.*
17. & cap. 9. 7. 15. 1. Ioh. 2. 7. 1. & 2. 1. Ioh. 4. 7. 10. 3. quatenus est ipse
medium reconcilians nos DEO, eiq; nos conjungens *Ioh. 14. 7. 20.*
& cap. 17. 7. 21. Accedit & id, Scriptura Formam ac modum me-
diationis Christum disertè exprimit *Rom. 8. 7. 25. 1. Tim. 2. 7. 5. Eb. 9.*
7. 22. Tandem Scriptura ipsa confirmat quod in propositionibus
quæ agunt de morte & passione Christi, phrasæ hæ, pro nobis,
seu pro ovibus, sunt æquipollentes illis, quas urges Socine; nem-
pe VICE aut LOCO NOSTRI, veritas aliàs luculenter patet ex
2. Corinth. 5. 7. 14. 15. Ad locum Coloss. 1. 7. 24. à te citatum. R. Nihil quic-
quam derogat passioni & merito Christi; ut qui solus tor-
cular calcavit *Iesa. 63.* Et D. Chemnitius super hunc locum. Chri-
stus semel passus est in se pro redemptione mundi. 1. Patitur au-
tem adhuc quotidie in omnibus suis, quorum passiones ad se,
quia caput est corporis, refert, & afflictiones Christianorum
vocatur *παθήματα* Christi. ut hac ipsa appellatione crux dulces-
cat pijs, Nam dicimur Christo *συμπαθεῖν*; ut conformes effi-
ciamur imaginis ipsius *Rom. 8.* & sequamur vestigia ejus *1. Pet. 2.*

Ad 2. XLII. R. 1. Non immanitatis aut truculentia, sed immen-
sæ Dei & sapientia & misericordia est, quod unus pro altero
mortuus & in illo omnes mortui *2. Cor. 5. 7. 2. 4.* Deinde dari possunt
certæ conditiones quarum respectu in innocentes pœna & culpa
nocentium derivari potest. 1. Quando innocens ille non coactè,
sed sponte reatum alienum in se suscipit, 2. quando sine læ-
sione justitiæ, hoc opus perficitur, id, quod demum fieri po-
test respectu divinæ justitiæ, si ipse planè ab omni culpa pro-
pria sit immunis. 3. quando non privati alicujus commodi, sed
in salutem, eorum, pro quibus patitur, aliquid tollerat 4. Quan-
do etiã ejusmodi viribus est præditus, ut nō modò pœnam possit
sustinere, sed ex illa propria virtute emergere. Hisce ita observa-
tis illa locū obtinere potest, ut innocēs pro nocentibus patiatur.

Ad 3. XLIII. R. multa dicis & pauca probas: quæso monstra
nobis: ubi Christus eodem modo dicitur *ἰλαστικόν*, quo Arca
fœderis.

fœderis. Contrariū restatur Scriptura Non n. quod tibi videtur,
sed quod Scriptura affirmat, statuendum est: Arca gessit quidem
typum Servatoris nostri Iesu Christi, Ergo quatenus gessit, eo-
dem modo non potuit per se, inesse, typo: alioquin non esset
typus. Deinde falsissimum est, Christum ideo dici *ἱλαστήριον*,
quatenus Deus in ipso, se nobis placatum reddiderit. Contrari-
um vide ex Epist. ad Eb. Cap. 9. v. 15. Concludimus proinde, Chri-
stum effectivè ac quidem ratione meriti ipsius *ἱλαστήριον*, sive
placamentum, cui & astipulatur Apost. Rom. 3. v. 22.

XLIV. R. blasphemia blasphemiarum omnium est blasphemis *Except. 4. Soc.*
sima. Quomodo quæso Socine ante tribunal Christi, qui in igne *Soc. cõt. fundi.*
iustificabit, & in gladio suo omnem carnem, constabis. Per De. *nostr. 4.*
um immortalem nonne verba Scripturæ sunt adeo perspicua &
clarissima, Christum (horrendum dictu) non occasionaliter
aut fortuito, sed certo, ac definito consilio, ac voluntate, ac po-
testate animam suam posuisse *λύτρον*, & *ἀντιλύτροσιν* pro no-
bis. Act. 2. v. 23. Hunc definito Consilio & præscientia Dei traditum per
manus iniquorum affigentes inter fecistis & cap. 4. v. 27. 28. 10. v. 18. Ne-
mo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi
eam & potestatem habeo iterum sumendicam: Hoc mandatum accepi à Pa-
tre meo Eb. 10. v. 7. Ecce venio: in capite libri scriptum est de me
ut faciam Deus, voluntatem tuam, quam ipsam voluntatem Pa-
tris fecisse legitur Matth. 26. v. 39. & 42. Pusillum, procidit in
faciem suam orans & dicens, Pater mi si possibile est, transeat à
me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et
iterum secundò abiit & oravit, dicens, Pater mi, si non potest
hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Cæterum,
quod distinguis inter medium acquirendi & confirmandi fœdus.
Resp. Scriptura utrumque Sanguini Christi assignat. Nam si
Sanguis Christi est medium confirmandi fœdus, certè erit etiam
medium acquirendi, prius enim erat necessariò acquisitio fœde-
ris quam ejusdem confirmatio, Nam id demum confirmetur,
quod acquisitum est. Nunc verò per Sanguinem Christi utraq;
est præstata, sic docente. Ep. ad Eb. 9. v. 14. & 15. v. 25. & 26. v. 15.
Cap. 10. v. 18. 19. 20. Ergò tam ratione acquisitionis quàm confir-
mationis Sanguis Christi est substantia N. T. quod consistit in
remissione peccatorum.

XVL. Bi

XXV. Finis jam esto, ne Theses ultra modum excrescant
que reliqua sunt, reservamus ea, in ipsum disputationis a-
ctum.

*Tibi Domine justitia, nobis autem con-
fusio faciei nostra, Dan. 9.*

FINIS.



AB: 15067

ULB Halle
003 019 209

3




36.





1750
GEBHART WOLFFEN
BUCHHÄNDLER
HAMBURG



בִּיהוּה אֱלֹהִים

Controversia Theo-
logica

De
MERITO CHRISTI
CONTRA SOCINUM DIRECTA,
AD ORDINEM IX.

Quam
SUB PRAESIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
SS. Theologiae Doctoris & Professoris
in Inclyta Academia Wittebergen-
si publici.
*Collegis ad trutinam Veritatis caelestis, pia
devotione pensitandam & discutien-
dam proponit*
PAULUS VVEISS Regio-
mont - Borussiae.

IN TEMPLO ARCIS,
Ad diem 20. Janu. horis consuetis

WITTEBERGÆ,
Ex Officina Johan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.

20

